

In
2976

6.1.21 - QK.2.21
DISSERTATIO HISTORICA INAUGURALIS
DE
ORIGINE BILLUNGORUM

QVAM
CONSENTIENTE
AMPL. FAC. PHILOS. IN ACADEM. GRYPHICA

PRÆSIDE
VIRO MAGNIFICO

**JOANNE GEORGIO PETRO
MOELLER**

H. T. ACADEMIÆ RECTORE NEC NON
COMITE CÆSAR. PALAT.

HISTORIAR. PROF. REG. ET ORD.

AD D. SEPT. A. Æ. C. CICIO CCLXIX
IN AUDITORIO MAIORE

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT
AUCTOR
HANS THUNMAN
SVECUS A SUDERM.

GRYPHISWALDIAE
LITTERIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.

ORIGINE BULGARORVM
S. PETRI
JANINÆ GEORGIO PETRO
MOPITI





§. I.

Sumus inquisituri, Candide Judex, in originem Serenissimæ Bilungorum familie, minus eamdem, ut pleraque antiquitatis, certam atque cognitam: opus saeculo parum forsitan arrisurum, cuius est propria tantum probare atque laudare, aliena autem atque remotiora negligere & spernere. Verum enim vero non ideo omne antiquitatis studium usque deque habendum putamus; Et quiaquam in tempestuoso atque infido hocce aquore, ac syrtibus usque quoque oblieto, equidem non eo inficias, multos vel cursum non tenuisse, vel naufragium quoque esse passos, suo eodem vel nimium indulgentes ingenio, vel adulationi fluitave simulacioni obnoxios. Attamen quum heic reposita jaceant semina ingeniorum, morumque atque institutorum, quibus tantum in modum differunt nationes etiam ad humanitatem exculta: quum hinc potissimum eruenda sint rationes formarum Regiminiis adeo variarum, successionumque Regum atque Principum: quinque plurima gentium iura, atque leges privorum civium, non nisi ex his fontibus derivari possint, quæ cuncta perscrutari & scire etiam Historici non minimum interest, certo constat non parum illum utilitatis aliis atque sibi posse comparare, cui curæ est recta via & ratione in obscuriores hosce recessus incedere. Habuit autem Historia gentis Megalopolitanæ, ut omnium fere nationum suas vices, &

æva, quibus vel plus vel minus esset certa, saeculo quo vixerunt scriptores vel stupidiori vel sagaciore semper obnoxia. Itaque olim Regum Principumve nomina conficta, eorumque unicuique res sua gestæ attributæ: gentes, quibus nihil inter se commune, commixtæ: multa alia magna que peccata (a). Postquam autem historiæ altisque scientiis majus exortum est lumen, prudentiorque ætas quamvis sero non nisi ex ipsis scaturiginibus, quas quidem paucas injuria reservavit temporum, coepit haurire, omnes haec fabulae missæ sunt factæ; plurimi Reges qui non nisi in imaginatione scriptorum exfliterunt, oblivioni sua traditi, & vera certaque facta est, quamvis adhuc obscurior, antiqua amoenæ hujus terræ historia (b). At nos veritatis professi fluidum, incorruptamque semper fidem conservaturi, sine ambitione & emulatione, quod nobis certissimum vel maxime probabile visum erit, in medium proferemus; futuri contenti, si paucis solum placemus, si pluribus, quamlibet insimilimus operam' abunde compensatam judicaturi.

S. II.

Fuisse in Germania, præsertim in regionibus ejus septentrionalibus, clarissimum olim Billungorum nomen, & eorum complures rerum apud suos potitos, harum terrarum res antiquas perscrutantibus notum esse necesse est. Ut enim ab ora ipsa maris Baltici ordiar, plurimos Principum Obotitorum hoc insigniri nomine conspicio. Sic ille Venedici hujus populi Regulus, cuius filia Dobra Theodorico nuperat Saxonum Principi, Billungus vocatur (c). Sic Vitzonem Caroli Magni foederatum alii scriptores Billungum appellant (d). Eodem etiam nomine apud plurimos auctores venire videmus Mistevorum secundum, magnum illum atque præpotentem Obotitorum Principem (e), qui quum primum Christianorum Religionem soveret,

in-

(a) Fabularum istarum auctor fuit Nic. Marschalek: quem secuti sunt Münster, Peterfen, Hennings, Latomus, Hütianus, Chemnitz, Schedius, Clüver & recentiorum etiam quidam.

(b) Multis multa quidem illa debet, plurimum vero B. Franckio, cuius summa diligentia, & insuma in veris a falsis disjungendis opera, maxima laude sunt dignæ.

(c) BÜNTING Braunsch. und Liineb. Chron. p. 23.

(d) consule FRANCK: A. u. N. Meckl. L. II. C. 2. §. 3. it. C. 4. §. 2.

(e) HELMOLD. Chron. Sclav. L. I. C. XIII. & XIV. alii, Ab hoc Principe Ben-

injuriis Saxonum irritatus, factus est ejusdem oppressor (f). Apud Saxones Ducis eorum Hermanni Billungi genus longo floruit tempore. Hic natus patre Billungo (g), quem aliqui Comitem Saxorum appellant (h), tantum absuit ut humilibus ortus esset natalibus, quod quidem contendere (i), ut eorum errore a vetustis simul & recentioribus Historicis invictis argumentis coarguto, quum ipsum Henricum Aucupem cognatione attingeret, admodum sit probabile, avos ejus atque majores, antiquorum Saxorum Duciū numero fuisse, antequam illa indigenarum Principum dyodecarchia, Saxonia Francorum facta provincia, a Carolo Magno aboleretur (k). Fuisse etiam in Franconia maximum atque nobilissimum Billungorum genus, multi antiqui tradidere historici: notissimus est iste Rex vel Princeps Franconum, quem Billungum nominant, Odā pater, quæ nupta Ludolphi Saxonum Duci, Brunonem Ottонemque magnum, Henrici Aucupis patrem, peperit (l). Ceterum alii quoque Billungi noti sunt

A 3 scripto-

Bangertus & A. Mylius Genealogiam Principum Obotritorum auspicantur.
De potentia ejus videsis Helmold. L. c.

(f) Hunc Principem cognomen Billungi in honorem Hermanni Saxorum ducis a summis arbitratur CASP. ABEL Teutsche u. Sachs. Alt. P. II. C. 2. §. 12. quod absurdum est, & nullo alio nititur auctore: præterea, longo ante hunc Saxonem tempore, cognominatum Principum Venedorum Historia mentionem facit.

(g) CHRON. VET. DUC. BRUNSV. ap. Leibn. P. II. p. 15. Ducatus --- ab Ottone Hermanno Bilingi filio est donatus. CHRON. LÜNEB. ap. Eymd. P. III. p. 173. Harmen Byling --- he was geboren --- in einem hove geheten Stubbekeshorne by Saltouwe belegen: sin vader hete Byling &c. STADTWEGLII Chron. ap. Leibn. T. III. P. 267. Hermen was Billinges son; de wart ein grot Tyranne.

(h) ABEL T. u. S. Alt. P. II. C. 2. §. 16.

(i) ADAMUS BREM. ALBERTUS STADENSIS, alii.

(k) DITHMARUS restit. ap. Leibn. P. I. HINR. MEIBOM. Vindie, Billing, LEIBN. introducit, ad P. I. ser. Brunsv.

(l) HINR. BODONIS synt. de eccl. Gandersh. ap. Leib. P. III. p. 702. Lutholus --- filiam nobilissimi Principis Francigenarum duxit uxorem, Odam nomine. Principis nomen Billung. HROSWIDA de Constr. Coen. Gandersh. ap. Leibn. P. II. p. 319. Luidulfum ---

Cui conjux ergo fuerat prenobilis Oda,
Edita Francorum clara de stirpe potentum,

Filia Billungi cuiusdam principis alii. EVERH. de Eccl. Gand. ap. Leibn.

scriptoribus (m), præsertim rerum Megalopolitanarum (n); quum vero probari non possit, Regum eorumdem Historiam e sinceris hau-stam esse fontibus, nihil nobis cum illis heic rei est. At nomen hoc neque *magnum* significat (o), neque vero *fortem* (p), ut aliqui de Historia alias meritissimi viri contenderunt: sūisse autem cognomen familia cuidam proprium, præterquam quod in eo plurimi consentiunt Historici (q), vel inde patet, quod complures ejusdem stirpis Principes eodem cognomine sunt insigniti, ut Vitzo atque Mistivojus, qui simul Billungi nominantur, & alii. Ac quamquam reperiuntur, qui hoc nomine solum tanquam proprio veniunt, credendum tamen est, auctores vel propria eorum nomina nescivisse, vel consilto cognomine utpote notiore atque celebriore appellare eos maluisse. Qui vero antiquitates tum Septentrionales quim Germanicas cognitas habet, scire ille quidem potest, quam frequentia veteribus temporibus familia- rum fuerint cognomina, quæ eodem erant formata modo, adjecto ad progenitoris proprium nomen vocabulo *unge*, quod prosapiam & so-bolem borealium populorum sermone significat (r). In his præci-

pue

Leibn. P. III. p. 150. To Wyve nam he eyne vil eddele Vrauen,
 Von Frankrike ut deme Lande geborn,
 Unde von deme grotesten Gheeschlechte uerkorn,
 Dat men over ali dat Königrike fand:
 Ode was de edele Vruwe genant:
 Und also ek en dem Boke bescreven vant,
 Billingk was der Vrownen Vader genant. CHRON. RHYTM. Prin-
 cip. Brunifv. ap. Leibn. P. III. p. 9. Ludolf der Forste nam to Wibe
 Eine Jungfrowen herlich,
 De was geboren van Franckrich,
 Van deme yornömfsten over alle Land,
 Or Vader Belune was genant. BOTTHONIS Chr. Br. Piſt. ap. Leibn.
 P. III. p. 298. Regem cum orientalis Franconia appellat (König ut
 oster Franckrike).

(m) in EXCERPT. NECROL. FULD. ad. A. ICCCCCLXXXVII ap. Leibn. P. III.
 p. 766. de Pillunc militie sermo est.

(n) *Latomo, Husano, Chemiriz* atque aliis.

(o) uti CLÜVER in H. M. P. III. p. 12. quem jam suo tempore Dietr.
 Schröder refellit vid. Franck. A. u. N. Meckl. L. I. C. 28.

(p) a Rad. Hebr. *balug* fortificavit. FRANCK. Loco cit. it. L. II. C. 4.

(q) FRANCK. L. c. L. I. C. 28. L. II. C. 2. MICRÆLIUS A. Pömmel. L. II.

(r) *ung Juvenis, yngla* progenerare.

~~~~~

pue Carolingos (s) intelligo, Capetingos, Alfdingos Vandalorum Regiam stirpem (t), Guningos (u) & Adelingos Longobardorum (x), Yngliangos atque Folkungos Suecorum, Skjoldungos & Knytlingos Danorum, Offlingos Anglorum, aliasque sexcentas familias, quarum apud Historicos nomina inveniuntur.

§. III.

Hinc etiam apparere credo, Billungos istos qui Obotritis imperitaverunt, Venedice nequaquam esse originis. Nam aliam certe rem ageres, si vel Venedos more Germanorum hocce cognomen effinxisse, vel ab exoticis eo solum nuncupatos eos fuisse, tibi persuadere velles. Multa etiam alia de externa eorum origine testantur: in illis nomina Germanica complurium, ut Gadlevii, Utonis & Gottskalckii. Quin etiam nullos Venedis Reges vel Principes fuisse, antequam in halce regiones venerunt, sed semper democratis usos, de summis rebus in communi consultasse, certum est (y). Unde ergo tuto concludere possumus, jam ante Obotitorum has in oras adventum, exstisisse hanc familiam apud gentes Germanici generis hujus terræ incolas, &c., ut reliquæ omnes, Regum imperiis obnoxias. At quo pacto ad regni Obotitorum gubernacula acceperit, quum ejus rei nemo antiquiorum auctorum mentionem injiciat, certi nos quidem nihil pronunciare possimus. Opinionem vero Cl. virorum fecuti (z) facile credimus, Venedos quin sensim, nulla adhibita vi, sed de voluntate ipsorum veterum

(s) hos Germani *Karlinge* appellantur. SCHILTERI Thes. ant. Teut. T. II.

Thaz was der mare Samson,  
Then klagten alle Karlinge.

Quin a Septentrionalibus totum imperium Francorum Kerlingaland est nominatum. OLAVI TRYGGV. VITA in Cod. Flatey.

(t) JORNAND. de reb. Get. C. 22.

(u) PAUL. WARNEFR. de Gesl. Longob. L. I. C. 14; aliæ editiones Gunicos habent: cuius nominis similitudinem, cum Regie olim Familiae Scandianis note, Gjukungorum, Torfæus observat, in ser. Reg. Dan. L. III. C. 9.

(x) PAUL. WARNEFR. L. C. C. 21. de similitudine nominis hujus cum Audlingorum, gentis antiquis nostratis notæ, Torfæus L.c. Hi Adelungi alias etiam Lathingi vel Lithungi nominantur.

(y) PROCOPI. de bell. Goth. L. III.

(z) FRANCK. A. u. N. Meckl. L. I. C. 25. C. BUCHHOLTZ. Gesch. von Meckl. P. II. §. 1. in N. BANGERT ap. Klüver P. I. C. 22.

veterum cultorum, qui crebris emigrationibus vel bellis ad magnam erant redacti paucitatem (a), in hisce maris Balthici oris confedissent, cum illis commixtos, hominum genus vagabundum, sine nobilitate, sine legibus, sine imperio, rude atque liberum, eorum non leges solum adsumisse, Deosque quosdam (b) illis adiecisse quos antea colebant, sed tandem etiam eorum se submisisse Principibus; quorum igitur in eos imperium eo arctioribus circumscripturn est limitibus, quo illi, qui semet subjecerant, minus istud coacti ficerunt. Expedita autem hoc tempore & aperta res est, regiones, quas dein occuparunt Oboviti, a Varinis (c) atque Herulis fuisse habitatas (d), nationibus Regibus gubernatis (e), qui vel haereditatis jure, vel prisa consuetudine, ex una solum familia, ad hancce evhebantur dignitatem. Quamquam autem Regnum eorum a precario non multum abhorrebat (f), hi Reges more Septentrionalium populorum simul supremi judices legumque interpres erant, simul rei Divinæ atque sacrificiis praefuerere (g), quo nihil ad excitandam imperitæ plebi venerationem atque metum efficacius esse potuit. Hinc facile perspectu fore arbitramur, quo potissimum modo Oboviti, quum priscorum incolarum religionem & jura essent amplexi, imperio quoque eorumdem Principum semet submiserint. Quin etiam inde concludere possumus, Billungorum jam tunc familiam suminam rerum ibi fuisse potitam, quum aliter nulla exstet ratio, qua alieni generis homines imperium in illos conse-

(a) PROCOP. de B. G. L. II. in describendo itinere Herulorum in Thulen, magnam inter Sclavos & Varnos desertam incultamque interjecisse regionem, memoria prodit.

(b) Horum precipui fuerunt Rhadegast, Prowe, Flins. cfr. FRANCK. & BUCHHOLTZ.

(c) hos loco cit. PROCOP. Varnos appellat.

(d) adjicit Vinulos B. Franckius, qua vero ratione, nescio: duxus forsitan auctoritate Bremensis, Helmoldi, aliorumque medii ævi scriptorum, sed qui Venedos ipsos ob nominis procu dubio quamdam similitudinem, non Vinulos solum, sed Vandulos etiam appellarunt. At neque ego nescio Vinulos a Warnefr. & Jornande inter Scandinavie populos recensi, eosdemque inde in Germaniae oras transiisse, & demum Longobardos fuisse cognominatos.

(e) in lege Verinorum de IX solidis sermo est, qui in bannum Regis componi debebant. (f) vide PROCOP. de R. G. L. II.

(g) HELMOLDUS L. I. C. 83. testatur Pribislau I. ad Deum Obovitorum, Prove venisse, jus ibi dicturum.

qui possunt; & armorum bellique jure subjectos non fuisse, libertas illa an licentia qua utebantur, abunde sit arguimento.

§. IV.

Præcedentibus evicisse arbitramur, ante adventum Obotitorum non solum floruisse Billungorum familiam, verum etiam ad gubernacula regni Germanicarum nationum sedisse, quæ in agro Megalopolitano sedes suas habuere. Inter illas Varini, jam olim Vandalicis accensi populis, a Plinio, Melaque atque Tacito nominantur. Herulorum vero, qui illis deinde accesserunt, nulla ab Historicis vel Geographis ante medium tertii saeculi facta est mentio. Quum igitur tam ampla atque copiosa natio, si hisce tunc in regionibus existisset, laudatis scriptoribus haud sane ignota esse posset, vel inde concludere possimus, advenas eos hoc aliunde accessisse. Verum opinionem hanc certissimam reddunt Procopii simul & Jornandis testimonia, quibus facile fuit veram harum rerum sibi acquirere cognitionem (h). Hit enim Scanziae illos populis adnumerat, inter quos nimia proceritate excelluerunt, & a Danis propriis sedibus fuisse expulso narrat (i). Procopius autem de populo loquitur in Thule insula (k) habitante, cui eadem Regia stirps fuit ac illis Herulis, qui tunc circa Singidonem agebant, & unde hi, imperfecto Ochone Rege (l), democratæ impatiens, Regem sibi petierunt (m). Thulen

(h) Loquitur de se PROCOR. de B. G. L. II. mihi quidem, licet cupienti, in hanc ire insulam non contigit, & quæ de ea dicuntur propriis inspicere oculis, sed illos, qui inde ad nos venerunt, interrogavi.

(i) JORN. de R. G. C. 3.

(k) Thule veteri Scandaniorum lingua insulam significat. Thjodolfus Arnorii de Magno Bono. Brand raud Budlungur Troenda Berann i Thula sydar. h. e. Ferrum rubricatum Rex Trondensium Gestavit in insulis meridiem versus. STURL. in Vit. C. 36, hinc Thulemark, Regnum olim, jam portio haud exigua Norvegiae: hinc insulæ Hallandie Thylen & Thyleholm, nomen traxerunt. Cfr. DALIN H. S. P. I. C. 3. §. 6. in ann.

(l) Nomen, quod Scandiani Åke vel Hakon pronunciarunt.

(m) PROCOR. L. c. narrat quidem, Herulos, quum cis Danubium a Longobardis vieti essent, sedibus illis fuisse expulso, quas aliquanto tempore occuparant; corumque alios cum Gothis in Illyricum & Italianam profec-

len vero omnes, ni valde fallor, dixerit penitissimis Septentrionis in oris sitam: Et Pytheas, nullo sere discriminé in Cancri fidere occasum ortumque solis ibi internosci, memoriae prodidit. Unde constat fuisse sitam circa sextum & sexagesimum latitudinis gradum, quæ illa demum cuncte terra fuit, vel mari undique præcincta, vel continent adhaerens (n). Verum enim vero multis invictisque argumentis a Procopio edocemur Scandinaviam fuisse, quæ etiam ab antiquis insula credita est. Jacuit enim hæc terra trans oceanum, e regione Daniæ, vasta illa & Britannia longe major. Hic habitavere *Gauti* (o) ingens populus, & *Skrithifinni*, gens vaga, agriculturæ nescia, venati vero & pecuariæ rei dedita, carnisbus solum animantium se nutriens, pellibus eorum se amiciens (p). Hic multæ civitates & regna

etos, alios vero, Danubium transire nolentes, in ultimos terræ partes commigrare statuisse; qui peragrat Sclavorum gentibus & Varnis, & magna quæ inter illos intercedebat solitudine, dein Danorum etiam populis, ad oceanum pervenerunt: quo denum transmisso, in Thulen insulam appulerunt, ibique sedes fixerunt suas. Hæc Procopii narratio, quamvis alius nullius idonei scriptoris testimonio nitatur, vera quidem esse potest: potuitque nihilominus hæc insula antiqua Herulorum fuisse patria; quo enim alio potius miseri atque devicti quam ad pristinos penates se converterent?

(n) Hinc nonnulli se evicisse putarunt, esse Islandiam, eodem intervallo a cardine distantem: Sed repugnat omnia qua Procopius attulit argumenta: neque nobis persuadere possumus, magnetis circa rem nauticam usu haud dum cognito, Pytheam Herulosque & classem Romanam, qui terram hancce vel sunt ingressi, vel enim disperserunt, ab ora continentis terræ tam procul distantes, imam Cori plagam trans vastissimum oceanum secutos: quin etiam tantum absuit ut ibi copiosa civitates & regna essent, ut ne vestigium quidem ullius humani cultus appareret, quum hanc in insulam primus, quem nos scimus, vi tempestatum & rictuosi maris, annis ab hinc circiter 1000, conjectetur Pirata quidam Norvegus, qui obductam nive glacieque æterna nivis eam *insulam* (*Snaeland*) vocavit, ipsis antea Septentrionalibus populis ne fama quidem cognitam.

(o) antiqua Svecana lingua *Gautar*.

(p) qui mores hodiernorum Lapporum & Finnorum qui Finmarkiam incolunt, cum illis comparat, quos Skrithifinnis attribuit Procopius, illum mox pronunciaturum eundem esse populum non dubito.

gna Regibus quæque suis submissa (q). Æstate nulla fere nox, nullus hieme dies: & maximum ibi circa brumam festum celebratum (r). Multos incolæ Deos coluere, quorum aliquos coelo, terre alios, quosdam aquis, quosdam etiam aëri dominari credebat (s). Multum sacrificabant (t), præcipue belli Deo, quem maximum esse rebantur, cui quoque homines bello captos immolarunt, eorumque de arboribus suspenderunt cadavera (u). Hæc atque alia quæ ad Thulen illustrandam Procopius indicia protulit, adeo clarum atque perspicuum reddunt argumentum, esse omnino in Scandinavia terram hancce quærendam, ut qui alter sentiunt, rem certe aliam agere videantur (x).

### §. V.

Constat igitur e Scandinavia oriundam esse Herulorum gentem, Regiamque eorum omni tempore familiam: quam enim magnum huic populo in nobilitate genuina Regum positum fuerit, vel inde videri est, quod tam longinquum iter, ejusdem generis homines, ad arcessendum Regiæ stirpis quemdam ad sua sceptra, suscepserunt. Ex antecedentibus autem maxime probabile esse factum, arbitramur, Billungorum familiam veteribus hisce maris Balthici accolis, quum ad eos Venedi commigarent, jamjam dominatam fuisse: quain ceteroquin recentiores haud sane spernendi Historici e Scandinavia originem traxisse censerunt (y). Jam igitur dispicere volumus an ibi-

B 2

dem

(q) Eo quo Procop. tempore scripsit, Scandinavia in plurima Regna divisa erat, quæ *Fylkin* vocabant, & Reges *Fylkis*-*Kongar*.

(r) Fuit festum quod hodieque *Jol* vel *Jul* appellatur.

(s) De diis Scandianorum, & de numeribus quæ illorum unicuique attribuebant antiqui, vid. DALIN. H. S. P. I. C. 5. & 6. ARNIEL Cimbr. Heidn. Rel., alios.

(t) Videbis scomma Olavi Trygg. in Suecos ap. STURLES. in vita, C. CXXI.

(u) Odino. vid. ADAM. BR. de situ Dan. C. 233. & 234.

(x) Saxo, Adam, Brem., Theod. Thorlac, Thorm. Torfæus, Rob. Sibbald, Nikolson, alii.

(y) FRANCK. A. u, N. Meckl. L. II. C. 4. §. 3.

dem unquam fuerit, innoueritque historicis antiquis familia quædam Regia huius cognominis.

At antequam ex vetustis Historiæ Septentrionalis monumentis quidquam ad rem nostram illustrandam allaturi sumus, brevibus præfari nobis liceat, neque nobis ignotum esse, alias harum historiarum meras esse fabulas, alias aliqua quidem vera in se continere, sed quibus commenta admixta sunt: alias etiam, quum ex sinceris consecuta sint commentariis, pro ingenuis atque veris habendas, compluribus tamen laborare desecribus, quum vel series Genealogicæ commutilata tradantur, vel non nisi hominum nomina, nulla vel exigua de rebus eorum gestis injecta mentione, ibi inveniantur: saepè etiam, quæ cognominum duorum fuere, uni solum attribuantur. Quapropter inique illos facere censemus, qui, quod earum quasdam confictas esse reperierunt, pariter ideo omnes falsitatis accusant: quum e contrario multa ibi sint, quæ lumen historiæ prisci ævi terrarum Borealium haud sane spernendum adferre possunt, quæ qui cum judicio perlegit, vera facile a falsis discernere poterit. Quod vero ad *Origines* quas appellant *Norvegiae* (*Fundin Norwegur*) attinet, quæ nobis quidquid de origine Billungorum disserturi sumus, præbebunt, antiquissimum idem monumentum, & ab *Ario Islandorum* isto Polyhistore, ut putant, consecutum (z), peritissimis illæ rerum harum judicibus probatae semper & optimæ esse notæ sunt (a); præsertim quod quæ ibi traduntur, ab aliis iisdemque antiquissimis historiis confirmantur atque asseverantur (b).

### §. VI.

Quendam olim Regem quem *Forniotum* appellant, Scythicis populis ab orientali inde maris Baltici ripa habitantibus, imperialis, memoriae proditum est (c). Hujus abnepoti *Thorio* duo fuere filii

(z) ER. JUL. BIOERNER in Præfat. ad Sagof.

(a) Vide quæ circa hanc rem differit *Thorm. Torfaeus* in Ser. Reg. Dan. L. I. C. 1, 2, 3, 4, 5, 6.

(b) *Edda, Landnama saga. Hist. Olavi Trygg.* in Cod. Flatey.

(c) Quenlandia ea regio antiquis appellabatur, nec Finlandiam solum in se continebat, sed magnam quoque Russicæ partem. vid. DALIN. H. S. P. I. C. 3. §. 16. TORFAEI H. N. P. I. C. 24. Nomen vero Fornioti priscum significat Otinum. Conf. DALIN. L. c. not. q), & quod ad calcem capitii Celeb. Germ. versionis auctores allegant.

fili *Nor* atque *Gotr*, quorum hic magna cum hominum multitudine navibus in Sueciam vectus, eadem tota potitur. *Nor* autem profectus terra per Lapponum fines, quos arcere cum volentes proelio devicit, omnem trans montes regionem in suam rededit potestatem, quæ ex ejus Nomine *Norvegia* est appellata (d). A filio hujus *Rau-mo* pars *Norvegiæ*, cui dominabatur, *Raumarita*, nomen traxit, Jornandi etiam nota (e). *Ringone* vero Raumi filio natus est *Halfdanus* iste grañdævis, duodeviginti filiorum fortissimorum prole felix, quorum novem familiarum in Septentrione celeberrimarum suere fatores. Eminuit inter hosce *Budlius* (*Budli*), cui quum minus domesticæ placent sedes, magna comparata classe, piraticam honoriscentissimam illius xvi Scandianorum populis aliquanto fecit. Dein terras Germaniæ ad Balticum mare sitas (f) invadens, in suam easdem rededit potestatem, Rexque conslitutus, vi an ex incolarum voluntate, incertum (g). Hic progenitor fuit Poëtis pariter ac Historicis Septentrionalibus celebratissimæ Budlungorum gentis: ex qua non exoticos solum Principes, sed multos etiam Borealium populorum Reges originem duxisse in memorie proditum est. Quin etiam quemadmodum Romanis Cæsar, Arsaces Parthis, illum qui rerum potiebatur denum significavit, Poëta, quorum Regum laudes canere volebant, hos Budlungos appellantur, nomen ob familiæ nobilitatem ad designandum potentissimum Principem, ut rebantur, aptissimum. Sic in oda *Ragnari Lodbrochii* qua *Allaugam* alloquitur, ipse se *Budlunga Bragna*, Principem Heroum, vocat. *Thjodolfus Hvinensis* Haraldi pulchri-comi Poëta, mortem Halfdani canens inquit,

|                        |                         |
|------------------------|-------------------------|
| <i>Oi Bydlung</i>      | & Regem                 |
| <i>A Borroe</i>        | in Borroa (insula)      |
| <i>Sigurhafendur</i>   | victores (ejus milites) |
| <i>Sidan falo</i> (h.) | dein tumulo operuere.   |

B 3

De

(d) antiquorum incolarum sermone *Noreg*.

(e) de reb. Get. C. 3.

(f) has uno nomine antiqui Scandiani Saxoniam vocarunt. Et hodieque Fennones Germaniam appellant *Saxa-ma*, terram Saxonum.(g) - *Budli* - - - settist thar at londum - - - *Budli hafdi* Saxland. h. c.  
& rerum Budlio summa ibi delata est - - - *Budlius* Saxoniam habebat.

(h) STYRLES. Yngl. f. C. 52.

De Magno Bono Norvegiae & Daniæ Rege *Arnorus Jarla Skalld,*  
quum Jomsburgum (Julinum) expugnatum devastasset.

*Hvörgi thordi hallir varda  
Heidit folk i virki breido:  
Budlung tinnot borgamoennom,  
Rjoertom elláti stali hjoerto (i).*

(Non audebant atria tutari pagani homines in monumentis vastis,  
& Rex oppidanos paucos reddidit, his igne absuntis, aliis corda  
ferro sauciatis.)

De Haraldo Imperioso, qui auspicis Michaëlis Paphlagonis in Sicilia  
atque Africa multa occupaverat loca, *Illugius Brundoela Skalld.*

*Brauzto und Michial mætstan  
Magome heim sem fragom  
Sonur Budla baud finom  
Sunnlönd Haraldur roendo (k).*

(Vertente Peringskoeldio: domum nobis nunciatum est, Haral-  
dum Principem Michaëli magnas australes terras subiecisse.)

Sic etiam in Rhytmis de Carolo & Grymo

*Mun ek thier bjöda - - -  
Bjarmaland ok Budlings nafn - - (l).  
(Polliceor tibi - Bjarmiam & Regis titulum. - )*

Plures adserre non lubet, quum ex allatis versibus satis pateat, quam fa-  
miliare fuerit Poëtis nomine hocce summos insignire Reges.

### §. VII.

At posteros Budlii in Saxonia, atque etiam in Franconia, diu flo-  
ruisse ac rerum fuisse potitos, multæ tradunt historiæ. Inter hos Re-  
ges enumerantur filius Budlii *Attil*, nepos *Viffr*, pronepos *Leenfna*,  
& abnepos *Budli* (m), cuius filii *Sorle* & *Aile* post sata patris ad Re-

gni

(i) ID. in vita C. 25.

(k) ID. in vita C. 5.

(l) in SAGOLF.

(m) Regem etiam Franconiae partis fuisse, constat ex Wolsunga l. C. 29.

gni gubernacula acceperunt: filia autem Brynhildis, nupta Sigurdo Sig mundi magno Heroi (n), Aslaugam peperit, uxorem Ragnari Lodbrochii Sueciae Daniæque Regis (o). Verum interruptam hanc Budlun gorum esse seriem, & complures desiderari Genealogia gradus, quod multi animadverterunt, ego quoque concedo. Quamquam enim certo dici non potest quo Budlius in has Germanicæ oras venerit tempore, appareat tamen intra principium saeculi secundi & finem quarti factum fuisse (p). Verum enim vero Ragnarus circa annum 1000, compitantibus *Wildio* atque *Torfo*, regnum est adeptus; igitur non quinque solum, sed saltem duodecim vel decem & quatuor generationes, eum inter atque Budlium intercedere debent: quas quin omnes investigare non potuere, qui Historiam Scandinaviae antiquam litteris consignarunt, quot novissent solum tradidisse videntur. Neque vero antiquis Germanicarum rerum scriptoribus Budlii nomen incognitum fuit; Sic enim appellatur Saxonum iste Princeps, qui auspiciis Ludovi ci pii, Haraldum, Regem ante partis Daniæ, tunc exulem, in Regnum restituturus anno 1000 xv, transmisit Albi atque Eidora fluminibus, Jutiam igne atque ferro vastavit (q). Quin etiam vero admodum simile est, Principem Obovitorum Buttie rectius eo nomine appellari, quamvis idem vel a Venedis ipsis, vel ab Adamo Bremensi, qui primus ejus meminit (r), & cui ejusmodi in scribendo vitia admodum sunt familiaria, corruptum sit atque deformatum. Tandem *Saxo Daniæ* quoque

(n) de eo WOLSUNGA S.; ad cinginn madur mune thylikur eptir i verollo dne, og alldrej mun borin sliukur madur, sem Sigurdur var - - og hans nafn mun alldrej firnast i Thif'kre tungu og a Nordurlondum, medann heimurinn stendur. h. e. neminem tam egregium hominem novisse, neque unquam existitur quemdam Sigurdo parem - - ejusque nomen in Germanica lingua & inter boreales gentes, dum orbis terrarum duravit, perenne futurum. C. 41.

(o) Ragnar Lodb. saga C. 5.

(p) Inter Aulrunam natam, quæ nupta erat Adilo, Suecia Regi circa annum CCCCLX (auctore Torfo), & Halfdanum Budlii patrem, constat intercessisse CCC annos. (vide Fund. Noreg. & H. Olavi Trygg. in Cod. Flat.) Nihilo minus dicitur fuisse propositis Audhii, (a quo Odlingi) fratribus Budlii immi, neptis vero Frodii, filia Kjari.

(q) Conf. DALIN. H. S. P. I. C. 15. §. 23.

(r) Hist. Ecclef. L. IV. C. 13. p. 47.

quoque Regem cognominem adserit, qui quum aliquanto tempore regno praeuisset, fratri istud, e captivitate Sclavorum reverso, tradere coactus est (s).

### §. VIII.

Iccirco si quis nominis similitudinem Budlungorum atque Billungorum considerat (t); si perpendit Budlungos, quemadmodum Billungos, in oris Balthici maris (u), apud Saxones & in Franconia olim regnasse: porro Herulorum Regiam familiam e Scandinavia esse oriundam; omnes præterea Barbaricas nationes Reges habuisse Odino satos (x): consentientibus etiam haud spernendis auctoriis, quanvis ignorarent Budlii in has oras adventum, venisse e Septentrionalium Regnorum quoquam Billungorum familiam (z): maxime illi probabile fore arbitramur, Budlungos a Scandanis, Billungos a Germanis dictos, unam esse atque eamdem gentem (a). Hæc autem

(s) Hist. Dan. L. VIII. p. 154. 155.

(t) Nomen *Budli* semper scribitur a priscis per litteram Runicam *rhor*: cuius loco, quia heic inveniri non est, quarto elemento, uti coacti sumus. At illa littera eodem fere modo pronunciabatur ac Anglorum *th*. Ceterum lippis etiam & tonsoribus notum est, quam frequens plurimis in linguis quarti elementi in undecimum sit mutatio.

(u) Ut ian diximus, tota ea regio Germaniae, quam mare Balthicum lambit antiquis Scandanis Saxonia dicebatur: cuius rei ea forsitan ratio erat, quod Saxones omnium Septentr. Germaniae populorum potentissimi erant, ideoque maxime noti.

(x) WILH. MALMSEB. L. I. C. 1. p. 8. 9. ad A. CCCXCIX. Forniotum vero priscum Odinum significare jam antea ostendimus: plures enim suis fe Odinos, apertum est.

(z) FRANCK. A. u. N. Meckl. L. II. C. IV.

(a) non aufim quidem quasi pro certo quodam contendere, Budlio duce venisse e Septentrione in Germaniam Herulos, quamquam mihi admidum vero simile appetet. Si enim constat Chronologia Auctoris originum Norv., juxta quam inter sacrificium istud magnum Halfdani Grandavi & nativitatem Aulrunæ CCC sunt anni: inde certo patet Budlium hic rerum fuisse potius circa annum CL; quo etiam tempore Herulos advenisse probari potest: quorum prima mentio juxta medium saeculi IIII in Romana historia facta est.

tem familia, quum procul dubio prium in proximis mari Balthico gentibus regni sui fundamenta jecisset, interiecto tempore latius potentiam suam extendere, & vicinis quoque nationibus jura dare incipit. Ergo non solum Germanicis populis, priscis terræ Megalopolitanæ incolis, & advenis Obotritis, Reges fuerunt vel Principes hac stirpe editi: sed Saxonici quoque anni isti Reges; dein Duces: & Franconia Principes; quin etiam Pomeranorum Regulos atque Dukes originem inde traxisse, docti viri & haud sane infirmis nixi argumentis tradiderunt (b). Itaque ut antiquissima fuit atque nobilissima, sic latissime etiam olim dominatam esse hanc familiam certo constat. Jam vero, quod nos scimus, in sola Serenissimorum Megalopolitanorum Ducum Domo superest & floret. Etenim, quamquam fuere qui natales Nicloti, a quo non interrupta serie Serenissima hæcce Domus originem dicit, an Billungorum genti adscribi deberent, in dubium voluerint devocare (c): argumentis tamen debilioribus nixi, haud difficile ab iis, qui pro diversa stetere sententia, refutati, manus dederunt (d). Et licet, deficientibus idoneis atque certis auctoribus, haud constet, quam propinquo cognationis gradu antecessoribus suis fuerit conjunctus, tamen non dubitandum existimamus, ob Regium eum genus, vel successionis jure, vel electum, Pribislai factum fuisse Regni consortem (e). Ut vero Serenissima hæc Familia, que vetu-

state

(b) MICRÆL. A. P. L. II. C. 59. p. 189.

(c) D. GERDES im IIIten Th. der Meckl. Saml. Huic celeber. Viro contigit idem ac plerisque, qui quum licentiam credant esse libertatem, & ejus quam maximam speciem obtrectationem præferre, omnia, etiam quæ sancta existimare deberent, Theonino corpant atque rodant dente.

(d) de WESTPHALEN in Proemio II. part. monum. Germ. & JARCHOW ad Cluver. T. II. in app. p. 708. it. T. III. p. 113. n.r) & app. I. Cfr. etiam FRANCK. A. u. N. Meckl. L. II. C. 27.

(e) CHRON. LUBECENSE ap. Franck. L. II. C. 27. Hinrick hadde enen Broder-föne, de het Pribislav, de onderwant sick der Lande, do was en


C

Niclotus



state atque claritate originis nulli jam regnantium cedit, verum facile plerisque palnam præripit, & cuius sub Clementissima tutela prope triennium vivere nobis quoque contigit, diu vigeat atque floreat, grata mente optamus atque venimus.

Nielotus, de wolte ock de negheste syn. Hinc certo patet jure proximitatis cum Príbislao contendisse Nielotum: quin etiam cognatio quæ illi & filii cum Pribislao vel Megalopolitano vel Pomerano (quod & h̄ Billungi generis erant) intercessit, & plura alia argumenta abunde probant, antiqua eum, quæ apud Obotritos erat, Regia familia, oriundus fuisse.



# THESES HISTORICÆ.

## I.

Disputari adhuc potest, exsisterit unquam Odinus ille Suecorum,  
nec ne.

## II.

Nunquam illud gentem inter Sverkerianam ac Ericianam exsistit  
paetum, quod auctores multi Suethici perhibent.

## III.

Inundationem terræ nostræ universalem unquam factam esse, ar-  
gumentis historicis haud comprobatum credimus.

## IV.

Sclavorum gens immerito ab omnibus ejus ævi scriptoribus per-  
fidiae accusatur.

## V.

Nulla de Gothorum e Suecia migratione, vel apud antiquos bo-  
realis historiæ apud nos scriptores, vel in stelis lapideis, mentio in-  
venitur facta.

## VI.

Æra Romæ conditæ vel Varronis, vel Catonis, vel Fabii, com-  
pluribus annis veram urbis a Romulo factam ædificationem an-  
tecedit.

## VII.

Peccant qui Syllæ, Mario atque Cinnæ ullum attribuunt  
Triumviratum.

## VIII.

Egregie errant, qui Fennones originem suam a X istis tribubus  
Iraëlitarum traxisse existimant.

## XI.

Lappones Sveciæ fuere antiquissimi habitatores.

## X.

Affinitas atque amicitia Sueciæ Regibus cum Principibus Obo-  
tritorum, dein Ducibus Megalopolitanis, a vetusissimis inde tempori-  
bus intercessit.

## C 2

Schol.

AK  
Tn  
2956

Schol. Uno saltem exemplo rem illustrabimus. Testatur Adamus Bremensis (Hist. Eccl. C. XXVIII.) Regem Sueciam Olavum *Skaurkonung*, quem Christianissimum appellat, filiam Selavorum, (h.e. Principis Selavorum) Estred nomine, de Obodritis duxisse uxorem, ex qua génitus illi est filius Jacobus etc. Peccat quidem in quibusdam Bremensis: nam hæcce Estred nobilissimo loco in Suecia nata fuit: nequè vero Jacobus a Sclavica principe natus erat. Huic vero rei *Sturlesonius* majorem adferet lucem (T.I. p. 502.): qui Venedicam Principem Edlam nominat, & eamdem peperisse narrat Edmundum grandævum, qui apud matris propinquos in Venedis educatus est, & Astridem, que Olavo Sancto nupserat Norvegia Regi. Dicit autem *Sturles.* Edlam a Suecis fuisse contentum habitam ob externam originem, sua scilicet nobilitati nimium tribuentibus. Hec vero Edla filia Micislavi II. fuisse videtur, qui anno 999 mortuus est; Olavo autem impfissè an. 1000, quo ille anno Olavum Tryggonis Norvegia Regem, haud procul a Gryphiswaldia magno navali proelio devictum, interfecit.

X 318 7100



W 13



HISTORICA INAUGURALIS

DE

# BILLUNGORUM

QVAM  
ONSENTIENTE  
OS. IN ACADEM. GRYPHICA

PRÆSIDE  
O MAGNIFICO

## GEORGIO PETRO DOELLER

MIE RECTORE NEC NON  
ITE CÆSAR. PALAT.

PROF. REG. ET ORD.

PT. A. E. C. CICIO CCLXIX  
DITORIO MAIORE

EXAMINANDAM SISTIT

AUCTOR  
THUNMAN

VECUS A SUDERM.

---

YPHISWALDIAE  
RIS A. F. RÖSE  
EG. ACAD. TYPOGR.

In  
2976